# INNOCENTIVS PP XIII

Dilecte fili Salutem et Apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fidedigno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut te specialibus fauoribus et gratijs prosequamur. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti quod tu qui ut asseris in Sacro Presbyteratus ordine ac in longe prouecta aetate constitutus existis et habitum per Monachos Ordinis Sancti Benedicti gestari solitum suscepisti professionem per eosdem emitti consuetam quantocius emittere posse plurimum desideras. Nos igitur te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus fauoribus et gratijs prosequi volentes et a quibusuis excommunicationis, suspensionis et interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris et poenis a iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absoluentes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut de Superiorum tuorum consensu peractis sex mensibus Nouitiatus dumtaxat, professionem praedictam expresse ac valide seruatis alias seruandis emittere libere et licite possis et valeas Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ea tamen lege ut in actu professionis huiusmodi concesso tibi per easdem praesentes indulto te uti velle expresse declares. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innouatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die XXIII Januarij MDCCXXIII Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius

Dilecto filio Paulo Domingo
Pbro Monacho Nouino Ordi
nis Sancti Benedicti

San Victorian 27

7

60